

Franz Wolf Franz Albert Aepinus

## **Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Quarta, De Mysterio S. S. Trinitatis**

Rostochii: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740902636>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 21.Okt. 1696

Wolf, Francisco / 6







I. N. J. (S)  
**COLLEGII THEOLOGICI  
DISPUTATORII,  
DISPUTATIO QVARTA,  
DE  
MYSTERIO S. S.  
TRINITATIS,**

Qvam,  
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu  
Pl. Rev. Facult. Theol.

**FRANCISCO WOLFIO,**

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,

Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examine

IN ACROATEMIO THEOLOGORUM

instructurus est

**M. FRANCISCUS ALBERTUS**

**EPINUS,** Mecklenburg.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

Anno 1696. d. 21. Octobr.

D

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

1696



## §. 1.



Atenus consideravimus essentiam divinam, cum suis attributis essentialibus, & inter se, & cum essentia divinâ identificatis, adeoque DEum absolutè spectatum, i. e. non consideratis simul illis, quibus unica numero essentia divina, & cum eâ identificata attributa, verè & propriè competunt. Superest, ut nunc quoque agamus de illis, quibus hæc essentia divina cum suis attributis in Scriptura S. tribuitur, num uni, an vero pluribus? & si, quot illi sint? quibus verè competant. Vocari hæc solent personæ, adeoque, ut agamus de DEO ratione personarum spectato, sive, quia, ut mox videbitur, tres hæc personæ sunt, de mysterio S. S. Trinitatis.

§. 2. Ad tria vero maximè redeunt capita mysterii hujus momenta. I. Est, DEum non nisi esse unicum. II. Essentiam hanc unicam sine sui divisione & multiplicatione se tribus competere, qui adeo non sunt tres Dii, sed simplicissime Unus DEus, & non uni tantum personæ. Et III. hos tres esse personas realiter inter se distinctas. De quibus ordine.

§. 3. Certum vero ante omnia esse debet, uti in DEO est unica numero essentia, ita & unum numero esse DEum, non tantum *absolute* indivisum, & indivisibilem; sed etiam *exclusive unicum numero tantum*, præter quem nullus alius, sive genere, sive specie, sive etiam numero tantum distinctus DEus detur. vid. Deut. IV. 35. Eph. IV. 6. 1 Tim. II. 5. imò per particulas, exclusivas plurium DEorum, expresse adjectas, unus ille DEus describitur. Deut. IV. 35. II. XLIV. 6. II. XLIII. 10. 1 Cor. II. 4.

§. 4. Interim hanc unicam numero essentiam tribuit Scriptura pluribus, & quidem præcisè tribus, quos vocat Patrem, Filium, sive Verbum, & Spiritum Sanctum. 1 Joh. V. 7. & Matth. XXII, 19.

§. 5. Quia



§. 5. Quia igitur essentia illa divina unica numero est, & propter summam perfectionem, simplicitatem, & immutabilitatem suam, prorsus indivisibilis, & immultiplicabilis, ideo illi tres, quibus ea tribuitur, non erunt tres Dii, sed unus tantum DEus.

§. 6. Tribui autem his tribus verè essentiam divinam, & non tantum Patrem, sed etiam Filium, & Spiritum S. verè & naturâ esse unicum illum DEum, ex Scripturâ S. distinctè erit probandum.

§. 7. Patrem autem Domini nostri Jesu Christi, esse verum DEum, ab omnibus, qui quidem Scripturam S. venerantur, quod sciam, conceditur utrâq; manu, adeoque contra illos non indiget probatione. Videatur interim Joh. XVII. 3. ubi particula exclusiva *solus*, non excludere potest Filium & Spiritum S. qui eandem numero cum Patre essentiam habent divinam, ut mox probabitur, sed quoslibet alios, quibus essentia hæc unica divina verè non competit.

§. 8. Filium vero esse verum & æternum illum DEum, tantum abest, ut omnes credant, ut contra, illud magnis ausibus inficiatum iverint ingentia adversariorum agmina. Quidam delirarunt, Filium non esse suppositum quoddam, negarunt esse *ἑνωμένον*, sed esse in Patre ut verbum in homine, ita juxta aliquos Sabellius, & Sequaces, *Sabelliani*. Postea Paulus Samosatenus, Antiochiæ Episcopus Sec. 3., & *Pauliani*, sive *Samosateniani*: inde etiam Photinus, Syrmii Episcopus Sec. 4. & asseclæ, hoc commentum exosculati sunt. Hi distinxisse videntur inter Filium DEI, qui verbum Patris, quem negarunt *ἑνωμένον*; & Filium DEI, qui ex Mariâ natus, hunc admiserunt esse *ἑνωμένον*, sed negarunt esse DEum. Alii dixerunt Filium DEI esse quidem *ἑνωμένον* & ante omnes creaturas reliquas, nondum tamen esse naturâ DEum, sed ante secula ex nihilo factum: Ita Arius, Presbyter Alexandrinus Sec. 4; adeoque eum habere essentiam aliam, & minorem essentiâ Patris, nec ipsi esse coæternum & æqualem. Alii deniq; Filium esse *ἑνωμένον* & personam concedunt, interim

D 2

eum



eum purum putum hominem esse volunt, qui priusquam nasceretur ex Maria virgine non extiterit. Ita superiori seculo Lælius & Faustus Socini, & horum seqvaces.

§. 9. Contra hos igitur probamus Filium habere eandem numero essentiam divinam cum Patre, adeoque esse verum naturâ & summum DEum:

Quicumq; in Scripturâ Θεομιεύς ω (1.) absolutè & simpliciter, & propriè, & cum additis propriam significationem confirman-  
tibus, vocatur DEus, (2.) proprius & unigenitus DEI Filius, (3.)  
habet attributa, & (4.) operationes vere divinas, (5.) etiam cul-  
tum divinum, & (6.) de quo explicantur in N. T. quæ in V. T.  
de summo & æterno DEO disertè dicta sunt, ille habet unicam  
illam numero essentiam divinam, estqve verus & æternus DE-  
us: Atqvi Filius DEI ita vocatur, habet illa attributa, operatio-  
nes, cultum, deq; eo illa explicantur. Ergo. Major videtur  
certa, Minor probatur per singula membra.

§. 10. Et quidem (1) Filius vocatur absolutè & propriè DE-  
us. Act. XX. 28. *DEus sanguine suo redemit Ecclesiam.* Et cum  
epithetis illud probantibus, v. g. dicitur *verus DEus* 1 Joh. V. 20.  
*magnus DEus* Tit. II. 13. *DEus benedictus in secula* Rom. IX. 5.  
qvibus DEus summus describitur Rom. I. 25.

§. 11. Deinde dicitur Filius DEI unigenitus Joh. I. 14.  
18. Joh. III. 16, & proprins DEI Filius Rom. IIX. 32. Joh. V. 18.

§. 12. Tribuuntur (3) eidem attributa verè divina, quæ  
ab unicâ illâ numero DEI essentia realiter non distincta, nem-  
pe *eternitas*. Sic Joh. I. 1. ita *αὐτὸς* extitit in principio apud  
DEum, ut ante eum nihil, neqve ipse Pater ante eum extite-  
rit, conf. Mich. V. 1. *omniscientia*. Col. II. 3. Joh. XXI. 17. *omni-  
potentia*, Apoc. I. 8. Joh. X. 28.

§. 13. Similiter (4) operationes vere divinæ ipsi adscri-  
buntur. Hinc dicitur *factor omnium* Joh. I. 3. etiam Angelo-  
rum Col. I. 16. *Conditor seculorum*. Ebr. I. 2. *Scrutatur renes &  
sorda*, Apoc. II. 23. idq; sine ullo indicio alterius. Joh. II. 25. Est  
*conservator omnium* Col. I. 17. Hebr. I. 3. Tribuitur etiam ei *re-  
suscitatio mortuorum sicut Patri*, Joh. V. 21. 28. 29. §. 14.



§. 14. Cultus quoque divinus ei tribuitur tanquam æquali cum Patre, Joh. V. 23. & Hebr. I. 6, quem tamen alteri, qui verus DEus non est, non daturus est DEus. Ef. XLII. 8.

§. 15. De eo denique explicantur loca V. T., quæ de DEO summo & æterno indubie agunt, conf. (α) Num. XXI. 5. 6. 7. cum 1 Cor. X. 9. (β) Psalm. XCVII. 7. cum Hebr. I. 6. (γ) Psalm. XLV. 7. cum Ebr. I. 8.

§. 16. Spiritus Sancti etiam Deitatem impudentissimo ore negavit Arius, qui eum esse creaturam Filii statuit; cum quo munera impietatis, ut loquitur Athanasius, partiti sunt Macedonius, Episcopus Constantinopolitanus, cum sequacibus, qui, ut Ariani vocabantur *χρησμάχοι*, ab hoc dogmate dicti sunt *πνευματομάχοι*.

§. 17. Spiritum S. vero esse DEum probamus hoc argumento:

Ille qui (1) absolute & simpliciter vocatur DEus, (2) & cui ea in N. T. tribuuntur quæ de vero DEO in V. T. sunt dicta, (3) & cui competunt attributa & operationes verè divinæ, est verus & æternus DEus. Atqui Spiritus S. est ille cui hæc omnia competunt. E. Spiritus S. est verus & æternus DEus.

§. 18. Absolute & simpliciter vocatur (1) DEus. 1 Cor. III. 16. 17. 2 Sam. XXIII. 2. collato cum v. 3. 1 Cor. VI. 19. & tandem Act. V. 3. unde hoc formamus argumentum: Ille, cui præter Apostolos, & quidem in primis, mendacium suum pro vero obtrudere volebat Ananias, non est homo, sed verus DEus. Atqui Spiritus S. est ille cui præter Apostolos, & quidem in primis, mendacium suum obtrudere volebat Ananias. E. Spiritus S. non est homo, sed verus DEus.

§. 19. Deinde quæ in V. T. de vero DEO dicuntur, ea in N. T. explicantur de Spiritu S. Conf. (α) Ef. VI. 9. cum Act. XXII. 25. 26. (β) Ps. XCV. 8. 9. 10. 11. vid. Ps. à v. 1. cum Ebr. III. à v. 7. Conf. etiam ex N. T. Luc. I. 67. sqq. cum 2 Petr. I. 21.

§. 20. Attributa verè divina tribuuntur Spiritui S. v. g. *Immensitas* Psalm. CXXXIX. 7. *omniscientia*, 1 Cor. II. 10.



§. 21. Operationes deniqve divinæ ei adferibuntur, v. g. creatio Ps. XXXIII. 6. Job. XXXIII. 4. justificatio 1 Cor. VI. II. Tit. III. 5. largitio & distributio donorum spiritualium 1 Cor. XII. II. & per Prophetas est locutus 2 Pet. I. 21.

§. 22. Stante igitur Patrem esse DEum, Filium esse DEum, & Spiritum S. esse DEum, & tamen DEum non nisi unicum numero esse, cujus essentia nec multiplicari, nec cum sui multiplicatione communicari potest, immotum fixumq; manebit, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse unicum tantum numero DEum, minime vero tres DEos.

§. 23. Hinc olim Sec. II. non defuerunt qui per Patrem, Filium & Spiritum S. non tres realiter distinctos, sed unam tantum personam trinominem intellexerunt, adeoque hæc in DEO esse tantum tria nomina distincta, uni supposito, diverso respectu, convenientia, eandemque personam esse, Patrem, & quæ pro nobis sit passa, quam inde ὑπαπόστασις nuncupabant. Unde dicti Patripassiani, & ab auctore Praxeâ, Praxeani, item Hermogeniani à quodam Hermogene, cum quibus Sec. 3. Noëtus & Sabellius idem cornu inflasse leguntur.

§. 24. Sed Scriptura aperte docet, hæc tria non esse nuda unius Personæ nomina, sed denotare aliquos inter se realiter & nemine cogitante distinctos, alium esse Patrem, alium Filium, & alium deniqve Spiritum S. Hinc non tantum vocantur tres 1 Joh. V. 7. sed etiam Christus Patrem vocat alium à se, Joh. V. 32. 37. & Spiritum S. πνεῦμα ἄλλον esse alium & à se, & à Patre, Joh. XIV. 16. Idem evincunt appellationes Patris & Filii. Nemo sui ipsius Pater est, sed alterius, quem genuit. Nemo etiam sui ipsius filius est, sed alterius, à quo est genitus. Nemo seipsum generat, sed alium. Nemo à se ipso generatur, sed ab alio. Pater est gignens Psal. II. 7. Filius vero est unigenitus. Joh. I. 14. 18. E. necessariò alius erit Pater, alius Filius, & hi duo inter se realiter erunt distincti. Similiter nemo procedit & mittitur à se ipso, sed ab alio: Spiritus S. autem procedit à Patre. Joh. XV. 26. & mittitur à Patre, Joh. XIV. 26. E. omnino est alius à Patre. Idem etiam mittitur, adeoque procedit à Filio, Joh. XV. 26. E. omnino erit alius à Filio. Et hinc Scriptura de his tanquam de tribus distinctis loquitur. 1 Joh. V. 7. Matth. XXIII. 19. conf. Joh. V. 32. XIV. 16.

§. 25. De nominibus quibus hi tres insignirentur realiter distincti, olim controversia quidem in Ecclesiâ mota est. Orientalis Ecclesia eos vocavit tres hypostasas. Latini initio hanc nomenclaturam averfabantur, metu, ne sub tribus hypostasibus tres essentiæ intelligerentur. Latini maluerunt eos vocare tres personas. Sed hæc Græci respuerunt appellationem, metu, ne hac voce exprimeretur



meretur tantum officium, siue habitus harum personarum, non vero significaretur ipsas esse tres subsistentes. Re vero & mente utriusque partis rite postea percepta, lis illa feliciter est sopita, & sicut Latini eos dixerunt tres personas, ita Graeci pariter appellarunt tria *ὑποστάσεις*: & contra Latini non tantum vocarunt tres personas, sed etiam tres hypostasēs, in unā tamen, non specie, sed numero, 1 Joh. V. 7, essentiā. Et inde hae personae tres dictae sunt *ὁμοούσιαι*, non tantum *ὁμοούσιαι*, i. e. non tantum *similis*, sed prorsus *ejusdem* numero essentiā, siue coessentialēs & consubstantialēs.

§. 26. Hypostasis nunc notat personam integram, siue suppositum ipsum, nunc in abstracto ipsam subsistentiam, siue formalem rationem per quam in esse suppositi concipitur constitui. Persona est suppositum intelligens. Et tres personae sunt tria supposita intelligentia. Persona est vox concreta, & duo quasi includit non realiter, sed ratione tantum distincta, alterum exprimitur in casu recto, alterum in obliquo. In recto dicit aliquid habens, in obliquo subsistentiam, siue personalitatem in qua illud habens eam per se subsistat.

§. 27. Uti igitur unica numero essentia datur in tribus personis, ita & dantur tres subsistentiae relativae, siue personalitates. Et quia in simplicissimam illam essentiam divinam nulla cadere potest compositio realis, sequitur, has tres personalitates ab essentiā non esse realiter distinctas, sed solā ratione, quamvis personae ipsae tres, realiter & citra mentis operationem inter se sint distinctae, cum relativè inter se opponantur. Et hoc est illud mysterium rationi absconditum, quò fieri possit sine contradictione, ut tres personae unius essentiā simplicissimae ab essentiā non realiter distinctae, tamen inter se realiter distinguantur. Hic, cum utrumque DEus dixerit, cogitationes nostras captivas ducimus ad obediendum DEO. 2 Cor. X. 5. certissimi, à summa veritate duo contradictoria doceri non posse, licet ratio nostra, quae & in iis saepe, quae ante pedes sunt, cœcutire solet, ea nec satis capere, nec plenius conciliare possit.

§. 28. Hinc tres hae personae, in unica numero essentia, etiam omnia attributa illius essentiā, cum ipsa identificata, habent communia, habent v. g. eundem intellectum, eandem numero voluntatem, eandem numero potentiam, per quam singulae operantur.

§. 29. Distinguntur vero hae personae (1) actibus personalibus, (2) proprietatibus, (3) notionibus personalibus.

§. 30. Actus personales sunt actiones, vel opera intra finem essentiā divinā manentia, cum suo termino, uni, vel duabus tantum, non omnibus tribus personis, competentia. Dicuntur ita, in oppositione ad opera ad extra, quae indivisa, & omnibus tribus personis communia, cum per eandem numero potentiam, quae tribus personis competit, producantur; quamvis & hae uni personae per ap- propri-



appropriationem soleant attribui, quæ se per illa peculiariter manifestavit v. g. creatio, redemptio, sanctificatio. Tales actus personales numerantur duo i. generatio, quæ uni tantum, 2. spiratio activa, quæ duabus personis tribuitur.

§. 31. Generatio est actio ad intra Patris, quæ ab æterno, de substantiâ suâ produxit Filium; sive suam essentiam numero eandem perfecte Filio communicavit Pf. II. 7. Act. XIII. 33. Mich. V. 2.

§. 32. Spiratio activa est actio ad intra Patris & Filii, quæ ab æterno de substantia sua produxerunt Spiritum S., qui ab hac spiratione nomen spiritus peculiarari ratione habet. Unde sicut Spiritus S. dicitur Patris Matth. X. 20. ita & Filii vocatur Spiritus. Gal. IV. 6. Rom. IIX. 9. 1 Pet. I. II. Aliàs etiam tolleretur relativa inter Filium & Spiritum S. oppositio. Et hinc Filius dicitur mittere Spiritum S. Joh. XV. 26. Luc. XXIV. 49.

§. 33. Differt generatio à spiratione, (1) ratione principii. Generationis principium est solus Pater: Spirationis Pater & Filius, per unicam potentiam, non alterius essentiaë causativam, sed alterius personæ pure productivam. (2) Ratione termini. Generationis terminus est Filius; Spirationis activæ terminus est Spiritus S. (3) Spiritus S. dicitur *ἀκρωτέρας*, Filius non item, licet dicatur in Scripturâ *ἐξ ἐκείνου*. (4) Per generationem Filius dicitur genitus, per spirationem activam Spiritus S. non genitus, sed spiratus.

§. 34. Proprietates personales sunt proprietates uni tantum personæ competentes, per quas in esse certæ & distinctæ personæ formaliter constituitur. Patris proprietas est *paternitas*, per quam concipitur in esse Patris formaliter constituitur. Filii est *filiatio*, per quam in esse filii constituitur formaliter. Spiritus S. est *processio strictè sic dicta*, dicitur aliàs etiam *Spiratio passiva*, non physicè, sed grammaticè.

§. 35. Notiones personales, si à proprietatibus personalibus distinguantur, sunt certæ rationes cognoscendi & distinguendi personas ut jam constitutas. Patris est *innascibilitas*, quia à nullâ personâ est productus, nec genitus, nec spiratus, sive procedens. Filii & Patris simul est *spiratio activa*. Cum vero notiones à proprietatibus non distinguuntur, solent quinque numerari notiones personales. Patris est tantum *innascibilitas*, & *paternitas*. Filii tantum *filiatio*. Patris & Filii simul, *spiratio activa*. Spiritus Sancti tantum *spiratio passiva*, sive *processio*.

§. 36. Pater igitur est primâ Deitatis persona innascibilis, (i. e. nec genita, nec procedens) quæ ab æterno genuit Filium, & cum Filio ab æterno Spir. S. spiravit.

§. 37. Filius est secunda Deitatis persona, ab æterno à Patre genita, à qua & Patre Spiritus S. ab æterno procedit, sive cum Patre spirans Spiritum Sanctum.

§. 38. Spiritus Sanctus est tertia Deitatis persona, à Patre & Filio ab æterno procedens, sive spirata.

§. 39. DEus denique, juxta hæcenus probata, est Spiritus independens, in unâ numero essentiâ, tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto subsistens.













neretur tantum officium, sive habitus harum personarum, tur ipsas esse tres subsistentes. Re vero & mente utriusque p[er]cepta, illa feliciter est sopita, & sicut Latini eos dixerunt tria *ἑσώματα*: & contra Latini non tria personas, sed etiam tres hypostases, in una tamen, non in Joh. V. 7, essentia. Et inde hae personae tres dictae sunt *ὁμοῦσμοι*, i. e. non tantum *familis*, sed prorsus *eiusdem* & coessentialiales & consubstantiales.


§. 26. Hypostasis nunc notat personam integram, si nunc in abstracto ipsam subsistentiam, sive formalem rationem suppositi concipitur constitui. Persona est suppositum interna sunt tria supposita intelligentia. Persona est vox concretum non realiter, sed ratione tantum distincta, alterum experientiam in obliquo. In recto dicit aliquod habens, in obliquo personalitatem in qua illud habens eam per se subsistat.

§. 27. Utiturigitur unica numero essentia datur in tribus subsistentiis relativae, sive personalitates. Et illam essentiam divinam nulla cadere potest compositio realitatis ab essentia non esse realiter distinctas, sed personae ipsae tres, realiter & extra mentis operationem inter se relative inter se opponantur. Et hoc est illud mysterium quod fieri possit sine contradictione, ut tres personae unius essentiae non realiter distinctae, tamen inter se realiter distinctumque DEUS dixerit, cogitationes nostras captivas ducere posse, licet ratio nostra, quae & in iis sapere, quae ante pedes nec satis capere, nec plenius conciliare possit.

§. 28. Hinc tres hae personae, in unica numero essentia tributa illius essentiae, cum ipsa identificata, habent communem intellectum, eandem numero voluntatem, eandem namque quam singulae operantur.

§. 29. Distingvuntur vero hae personae (1) actibus proprietatibus, (2) notionibus personalibus.

§. 30. Actus personales sunt actiones, vel operationes manentia, cum suo termino, uni, vel duabus tantum personis, competentia. Dicuntur ita, in oppositione ad omnia, & omnibus tribus personis communia, cum per eandem quae tribus personis competis, producantur; quamvis &



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 09A